

1529

cur, nondum Bononie conventu coacto, oratores mittere Mantuanum velimus? putatisne hoc intervallo vobis pacem e manibus elapsuram? quasi vero eo loco res Cæsar is sint, ut quæcumque sibi in mentem venerint, ea exequi, ac perficere possit? An illius copias multis incommodis premi ignoramus? commeatu laborare; pecuniae inopia urgeri; molem tantam ægre sustentari, cito in semet casuram? Qui, si in vestros fines exercitum ducere velit, validissimas urbes, natura, atque arte munitas inveniet, in quibus oppugnandis ingentibus viribus, omnium rerum affluentia, ac tempore præsertim opus est, quod longioribus obsidionibus terendum erit. Ea ut maxime difficilia sunt, ita confici a Cæsare hoc tempore non possunt: bellum enim in Italia moventem Pannoniam deserere, totius Germaniae obliuisci necesse est; at quo rerum statu? dum Suleimanus Turcarum Imperator, Pannonia vastata, ac direpta, Viennam oppugnat; mœnia concutit; in illius potiundæ st. adductus, Germaniae exitium parat; dum heresum pestis per populos grassatur, intestinarumque dissensionum non minus, quam exterorum bellorum adventantibus periculis conflictatur; dum anxium, ac solicitum de salute, atque imperio Ferdinandum fratrem aspicit, cui subsidia negare, crudele, atque impium: submittere, id demum est præsenti metu, ac formidine Italorum animos solvere. Nam Cæsar is copiis imminutis, quod amplius aggredi facinus Cæsareani queant? quas vires nobis pertimescendas censem? qui diu cum Antonio Leva pugnastis, vanosque illius conatus reddidistis. Pacem hanc, quam modo ostentant, qua allicere vestras mentes nituntur, putatisne illorum causa, an vestra peti? vestrane, quos sibi infenos putant, quod toties cum Gallo juncti iis obstitistis; irritos conatus reddidistis; augendi, ac propagandi imperii consilia fregistis? an potius sua? qui cum alio avocentur, neque diu cum exercitu in his regionibus morari possint, Italicas res pacatas, ac tranquillas relinquere cupiunt; id, nisi pace cum Republica constituta, obtinere posse desperant; propterea vos urgent, ac solicitant; & cum sape Gallorum in se animum experti sint, verentur, ne, turbatis Italie rebus, Imperatore absente, eodem Galli revolvantur; neque magis concordie Came-